

eius, & mirabilia eius filiis hominum. Deinde in altera parte Psalmi laudatur omnipotens Deus, qui solo natus mutat rerum naturas. Dissensio quidem est inter expositores de quatuor illis miseriis: alij enim volunt eas esse corporales, & ad populum hebraeorum propriè pertinere. Alij existimant corporales esse, sed pertinere ad humanum genus uniuersum, non ad solos Iudaos. Alij spirituales esse censent, & liberationem ab illis, esse propriam Elettorum. Alij deniq; spirituales esse dicunt, & liberationem ad omnes pertinere. Sed videntur sententia ista facile posse ad concordiam redigi, si dicamus ad literam de miseriis corporalibus agi, mystice de spiritualibus: & ad genus humanum uniuersum pertinere, sed exempla poni in ijs rebus, quæ populo Hebraeorum propriè contigerunt: liberationem verò perfectam ad solos electos; imperfectam ad omnes pertinere.

EXPLICAT. PSAL. CVI.

- I. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordiae eius.
- II. Dicant, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos.
- III. A solis ortu, & occasu, ab aquilone & mari.

Hæc est prefatio totius Psalmi, in qua David hortatur omnes, qui experti sunt misericordias Domini, ut confiteantur laudes Domini; ac potissimum confiteantur ipsi Domino, quod ipse sit vere bonus, & misericors, & misericordia eius nunquam deficiat. Et quidem maximè proprie inuitat fideles, quos redemit sanguine Unigeniti sui de manu inimici potissimum, a quo captiui tenebantur ad ipsius voluntatem. I. Principis tenebrarum; quosq; congregauit in unum populum, in unam Ecclesiam, in unum Regnum filii dilectionis suæ, non ex Aegypto, vel Babylone, ut olim Hebreos, sed ab ortu solis, & occasu, ab aquilone, & mari, id est, à quatuor Mundi partibus, siue ex toto orbe terrarum, iuxta illud Ioan. 10.

Alias oues habeo, quæ non sunt ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus Pastor. & Ioan. II. Quia Iesus moriturus erat pro gente, & non solum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Quamuis autem maximè propriè inuitent fideles, siue ex hebreis, siue ex gentibus: tamen inuitantur etiam generatim omnes homines, quos quocunque loco, & tempore liberauit Dominus de quacunque vexatione: nam redemptio in Scripturis accipitur passim pro liberatione, etiam si non fiat pretio interueniente: item quos liberauit de manu, id est, potestate cuiuscunque inimici: deniq; quos liberauit de quocunque exilio, de quacunque dispersione, de quacunque extremitate terræ, & reuocauit in patriam, atq; ad populum suum congregauit. Porro illa descriptio à Solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari, continet, ut notum est, longitudinem, & latitudinem terræ: nam longitudo incipit ab ea regione, unde oritur Sol, & desinit in eam, ubi Sol occidit: latitudo incipit ab ea parte, unde flat ventus, qui dicitur Aquilo, & desinit in eam, quæ alluitur mari magno, quod Oceanus vocatur, quæ pars australis etiam dici solet, quia ventus Auster, Aquiloni oppositus, inde oritur.

Errauerunt in solitudine, in inaquo- IV.
fo, viam ciuitatis habitaculi non inuenierunt.

Esurientes, & sitiientes: anima eo- V.
rum in ipsis defecit.

Et clamauerunt ad Dominum cum VI.
tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam, ut VII.
irent in ciuitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordia VIII.
eius, & mirabilia eius filiis hominum.

Quia satiauit animam inanem: & a- IX.
nimam esurientem satiauit bonis.

Hæc est prima pars Psalmi, in qua expli-
catur.